





5756  
4.  
1718, 40.<sup>a</sup>

D. T. S.

THEMA JURIDICUM  
DE  
VACUA POSSESSIONE

CONSENSU

MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS  
*SUB PRÆSIDIO*

DN. FRIEDERICI PHILIPPI

J. U. D.

ET FACULT. JURID. SUBSENIORIS

*AD DIEM XIII. SEPTEMBRIS ANNO cl. Iscc. XXIX.*

ERUDITORUM CENSURÆ

S I S T I T

M. FRIEDER. ALEXANDER KÜNHOLD  
GOTHANUS

---

LIPSIÆ  
LITERIS TITIANIS.

D T A  
THEATRUM INSTRUMENTI  
DE  
ACCUA PROSESSione  
GONZAGA  
MACCHIOLI TORONI ordinis  
TUA PRAEVA  
DU FRIEDRICH PFEIFFER  
ET HICAT HINC SURSUMORES  
AD DIAVINUM HIC ET TERRAM VENIT  
FUNDATIONE CLEMENS  
S. ET. M. T.  
W. FRIEDR. AL. XAVIER. F. H. H. O. D.  
GOTHART  
T. 1294  
M. T. T. T.

V I R O,  
MAGNIFICO, CONSULTISSIMO  
ET AMPLISSIMO  
D O M I N O  
ERNESTO TENZELIO  
JCTO CELEBERRIMO  
CONSILIARIO REGIMINIS ELECTORALIS  
ASSESSORI FACULTATIS JURIDICÆ ERFUR-  
TENSIS, ET CONSULI PRIMARIO  
SPLENDIDISSIMO  
*AVUNCULO SUO SUBMISSA*  
VENERATIONE COLENDO  
H A S  
DE VACUA POSSESSIONE  
PAGINAS  
CONSECRAT  
AUTOR.

VIR MAGNIFICE,  
AMPLISSIME ET CONSULTISSIME,  
PATRONE SUMMA VENERATIONE  
COLENDE!



Ublium Scipionem,  
eum qui primus Afri-  
canus appellatus est,  
dicere solitum scripsit  
Cato, qui fuit fere ejus  
æqualis: Nunquam se  
minus otiosum esse, quam cum otiosus:  
nec

nec minus solum, quam cum solus esset.  
*Quam vocem magnificam, & magno viro,  
ac sapiente dignam nominat Cic. offic. L.3.*  
*Quod de Publio Scipione scripsit Cato, id  
de TE, VIR MAGNIFICE, optimo jure  
asserere possum: quin vivum & ocularem  
testem me esse profiteor, TE in otio de maxi-  
mis negotiis cogitare, in solitudine nun-  
quam esse solum, sed magno amicorum mor-  
tuorum comitatu undiquaque cinctum, Do-  
mumque TUAM jure meritoque appellari  
Asylum bonorum, Musarumque palatum.  
Magnæ igitur audaciæ accusari possem,  
quod inconcinno scribendi genere, ejusque  
perfectione circulos TUOS turbem, tempus  
gravioribus rebus destinatum surrepturus:  
at vero tria me absolvere videntur; conna-  
ta bonitas, qua omnibus benignas aures mu-*

A 3 tuaris,

tuaris, serenos oculos exhibes; singularis  
erga me favor, quem per quinquennium  
præsens luculentis testimoniis quotidie ex-  
pertus sum, quoque absentem etiam dignari  
non intermittis: gratusque animus, quem  
munere hoc chartaceo, utut levissimo, nec  
tanto viro digno, testari, simulque publice  
declarare, quantum TIBI debeam, mens  
erat. Multorum annorum, quin seculorum  
non interrupta serie jus civitatis adepta est  
ista inter eruditos consuetudo: ut vel sub-  
diti imperantibus, vel amici amicis, vel cli-  
entes patronis, vel denique auditores iis,  
quorum doctrina antea usi fuerant, & libe-  
ri parentibus, consanguinei vel affines con-  
sanguineis vel affinibus, fœtus ingenii dedi-  
cent; quorum quidam lucrum exinde ca-  
ptandum, alii dignitates conferendas, reli-  
qui

qui vero amicitiae vel initium, aut confirmationem, vel etiam grati animi declarationem pro fine habent. Mibi sane nulla alia causa fuit, quam gratissima præteritorum temporum recordatio, quibus me optimo parente, utraque desideratissima matre, una, cui quod vivam, alteri quod bene vivam debeo, orbatum, curæ TUÆ traditum, paterno affectu recepisti, recepto studiorum, præcipue Juridicorum Dux & Autor fuisti, meque innumeris beneficiis cumulasti. Quare, causa cognita, in sinistram non interpretaberis partem, quod censuræ TUÆ doctissimæ hanc de vacua possessione dissertationem subjiciam. Deus conservet TE, TUOSQUE, & ex inexhausto bonitatis suæ fonte, omnis generis felicitatis rivulos derivet in eos, qui Domui TENZE

TENZELIANÆ vel consanguinitate, vel  
affinitate juncti sunt; id quod ardentissi-  
mis precibus a supremo Numine efflagitare  
nunquam intermittet

MAGNIFICI, ET AMPLISSIMI  
NOMINIS TUI

Lipsia die 12. Septembr.  
elō loco XIIX.

Cultor perpetuus

M. FRIEDER. ALEXANDER KÜNHOLD.



§. I.

Ullam mihi rationem reddendam esse arbitror, quare in hoc, & non in alio themate ingenium exercuerim. Si enim omnium dissertationum finis non vana gloriola, nec turgida habetur ostentatio, sed studium aliis inservienti utramque constituit paginam; sub hoc vero dissertationis meæ rubro, ejusque tractatione multa latitant, quæ & Theorizæ, & praxi lumen accendere possint: quem finem instituti mei si fuero asseditus, acquiesco.

§. II. Perperam querent ii, quibus evolvere has paginas placuerit, prolixam de possessione, ejusque Etymologia, Synonymia, Homonymia, & aliis hic non spectantibus, tractatum. Nec prolixis interpretum testimoniis, eorundemque allegatione superflua, lectorum meorum patientia me abusurum promitto, aversatus improbum eorum laborem, qui allegatorum plaustris scriptiunculas suas ornare, vel potius onerare fatagunt, nil summorum virorum oculis dignum judicantes, nisi quod pomposis Doctorum nominibus, scriptorumque cele-

B brium

brium locis citatis splendorem acceperit. Alienus quoque ab eorum studio sum, qui corpus sine anima sifunt, ad testimonium aliorum provocant, quorum tamen mentem, & rationes, quæ illos hanc, vel aliam amplecti sententiam suferint, ignorant.

§. III. Longe aliud igitur iter ingredior. In quo via regia incessisse, tutissimum erit. Per viam regiam intelligo evidentiam, & ordinem, quibus nil dulcius, nihil ad omnes ideas cum aliis communicandas magis necessarium. Quam viam ut semper teneam, neve ad devia deflectam, præmissa vacua possessionis descriptione, flumen dissertationis meæ in duos dilabetur rivulos, unum Theorias, alterum Praxeos: ut usus hujus materiae minime vacua, sed multis commodis superbientis, patet omnibus, qui accuratori perlustratione hocce specimen dignabuntur.

§. IV. Possessionem vacuam voco *omnem rem, quæ ab alterius corporali insistentia, & actu insistendi proximo ea ratione libera est, ut vel apprehensione, vel apprehensionis fictione justo modo ad acquirentem transeat.*

§. V. Ne autem a linea quod dicitur, excidam, sed ut intra cancellos, quibus memetipsum inclusi, me contineam, & ad singula ea, quæ hoc loco moveri possunt dubia, respondeam; ordine strictim, & in transcurso, non quidem ut res postulabat, sed ingenii tenuitas, & vires patiuntur, de omnibus necessaria degustabo.

§. VI. Primo loco protestor, mihi non de ejusmodi possessione, quæ animo, suo nomine rem sibi habendi destituta est, sermonem esse, neque ad quamlibet possessio-  
nis speciem istam, quam præmisi descriptionem extendi posse;

posse; sed justam possessionem, eamque, quam leges  
permittunt, hujus solum esse loci, nec aliam, quæcunque  
sit, præmoneo

§. VII. ~~Illegible~~ nonnullis futurum, quod exclusis  
reliquis possessionum speciebus, eas, quas mox enarravi,  
huc pertinere propugnam, facile mihi præfigio; sed  
qui rem ipsam & causas, cur ita sentiam, cum judicio ex-  
penderit, facile deprehendet, me jure meritoque adstrue-  
re: quod vacua possessio non nisi ad juste acquirentem,  
remque affectione dominii desiderantem, minime gen-  
tium vero ad prædones, spoliatores, nudos detentores,  
eosque qui non suo, sed alieno nomine rem possident,  
pertineat. arg. l. ii. C. unde vi.

§. VIII. Facile inquires, est dixisse, difficile vero de-  
monstrasse id, quod dixeris. Vera prædictas. Demon-  
strabo vero, & quidem paucis. Summa omnium possiden-  
di modorum huc reddit: corporalium rerum possessio  
acquiritur corpore, & animo per l. 3. ff. de acquir. l. amitt.  
possess. Illa naturalis corpore, civilis animo retinetur arg.  
l. io. C. de acquir. & retin. possess. Nulla vero possessio a-  
nimo solo acquiritur, per verb. fin. §. 5. f. de interd. & l. 3.  
ff. de acquir. l. amitt. possess. pr. neque obstat l. 34. ff. b. pr.  
ejusque verba: & si animo acquiri possessio potest, nun-  
quid etiam acquisita est? dubitat enim ibidem Ulpianus,  
dum vero dubitat, neque affirmat, neque negat, sed su-  
spendet tantum judicium, qua dubitatione præcedente  
postea negat, errantem acquirere posse. Hinc conclu-  
do, rerum incorporalium non dari possessionem veram,  
& proprie sic dictam, quia corpore, & animo simul ac-  
quirere easdem non possumus, nec vacua dici possunt,

consequenter de iis hoc loco nihil dicendum, sed silentio prætereunda erunt. Ulterius nemo, nisi is, qui suo nomine possidet, remque animo sibi habendi detinet, vere possidet, reliqui vero in possessione esse dicuntur §. 5. *J. de interd.* & licet multæ leges, quarum longum catalogum hic inseruisse supervacuum puto, possidere eos dicant, hoc tamen de possessione naturali, & nuda detentio ne, minime gentium vero de vera & plenaria possessione accipiendum est ; quin imo *l. 1. C. comm. de Usuc.* omnem tollit dubitationem : conductorem non sibi, sed domino possidere, licet rem corporaliter teneat, asserens. Quare reliquos possidendi modos hoc loco tractandos, & explicandos esse, minime arbitratus sum. Quemadmodum quoque excludo injuste possidentes, qui pro prædonibus habentur, nec ullo modo jura ipsis subvenire possunt *l. 7. C. de acquir.* *Ei retin. possess.* Utut enim prædones quoque in sua possessione manutenendos esse, jura velint, hoc tamen non accipiendum de manifestis prædonibus, sed de iis, quorum causa nondum a judice est cognita. Omnes igitur, quos enumeravi homines pro idoneis vacua possessionis subjectis non habeo, quia corpore quidem interdum, nunquam vero animo evanquatas res occupant, nulla vero possessio amitti potest, nisi corpore, & animo *l. 8. ff. de acquir.* *l. amitt. possess.* & si non amittitur, neque vacua dici poterit.

§. IX. Non deerunt, quibus ea, quæ tribus verbis de differentia naturalis, & civilis possessionis dixi, displicebunt, quique forsitan arbitrabuntur, civilem possessionem corpore & animo simul detineri, naturalem vero solo corpore ; e quorum numero acutissimus

FRANZ-

FRANZKIUS Exercit. 14. qu. 1. n. 25. § 31. adstruere conatur; eam non esse civilem, & intellectualē possessionem, quæ animo retinetur, alias enim consequens esse, ut discessu naturalis amittatur, & recessu domini iterum acquiratur; imo si alius ingrediatur rem nostram, & naturalem possessionem apprehendat, duos unam eandemque rem in solidum possidere posse: quæ omnia tamen a mente Jurisconsultorum planissime abhorreant. Ast quis non videt summi acuminis virum argumentis hic pugnasse dialecticis, & persuasoriis, non logicis, & apodicticis. Quia enim ratione menti Jurisconsultorum contrarium sit, discessu naturalem possessionem amitti, recessu vero iterum acquiri, & eandem rem diverso modo a duobus in solidum possideri posse, neque legibus, neque rationibus adæquatis noster demonstravit, & hac ex ratione ab ipso allegatis Doctoribus, Vaudio, Obrecht, & Jasoni fidem habere possum; cum rationibus & legibus, non autoritate pugnandum: mihique semper amici quidem sint viri vere docti, magis tamen amica veritas; hæc vero veritas ex ante allegata *lege 10. C. de acquir.* & *retin. possess.* elucescit, ejusque verba: nemo ambigit, possessionis duplē esse rationem: aliam quæ jure consistit, aliam quæ corpore: pro sententia mea pugnant, eamque defendunt.

§. X. His in genere præmissis, non abs re fore judico, si quid apprehensio significet, quidve apprehensionis fictio, reliquaque voces §. 4. exhibet sibi velint, dixero. Apprehensio possessionis duplē procedit modo: vel enim occupo res, quæ sunt nullius, occupo quoque animalia, hostes, res inanimatas, lapillos, & cetera, quæ in li-

tore maris sunt, thesauros quoque absconditos in visceribus terra, vel ædium, vel traditam mihi ab altero accipio possessionem vacuam, quam corpore quæro, quæ an vacua dici posit, quæritur? Ratio dubitandi est, quod ante traditionem vacua dicinon potest: post traditionem vero vacua quoque non est, ergo plane non vacat. Sed facile deciditur hæc dubitatio, respondendo: vacuam esse ipso momento, quo dixit tradens, accipe, & alter nondum corpore, animoque rem amplexus est. *I. 3. C. de acquir. & retin. possess.* Ut itaque vacuam possessionem me tenere, indubitate scire queam, disquisitione opus est, an alter corpore insistat rei, de qua quæstio est, an vero sola mente, (quem modum actum insistendi proximum vocavi) eam adhuc teneat; eo enim casu non consentiente domino justam possessionem me adipisci non posse, certum est. *I. 7. C. de acquir. & retin. poss.*

§. XI. Interdum etiam sine apprehensione transire possessionem rerum vacuarum, extra item est. Quod ex Ordin. Polit. Magd. de Anno 1688. C. 44, §. 15. ejusque verbis:

Ordnen, und wollen wir, daß in Zukunft in unsern Herzogthum Magdeburg der Besitz, oder Gewehr der Güther, sie seynd liegend, oder fahrend ohne einige leibliche Ergreiffung auf des verstorbenen Erben in absteigender Linie verfallen, und einen andern, der zu Ergreiffung einer Possessi vorkommen, und sich in solchen Fall des Besitzes zu nähern unterstehen würde, es zu keinen Vorteil weder in noch außerhalb Rechts gedeyhen, sondern vielmehr vor eine straffbare That gehalten werden soll.

facile

facile cognoscitur, distinctionis vero, quam serenissimus Legislator inter hæredes defuncti ascendentis, & descendenter lineæ constituit, rationem, intentio restringendi hanc fictionem, absolvet. Ad hæredes a defuncto descendentes ipso jure hæreditatem transferunt verba legis; excluduntur ergo necessario omnes, qui defuncto sunt alatere, quive lineæ rectæ ascendentis puncta constituunt; Ad eos vero de quibus §. 15. loquitur non apprehensa possessio transit, quia fictio apprehensionis imitatur veritatem d. §. 7. *J. de usuc.* uti JCTus Dn. MENCKE recte judicat. p. 1155. Theor. & Pr. π. Ceterum regulariter non nisi nova apprehensione transit ad hæredes. l. 23. ff. de A. v. A.P. ne suos quidem l. 1. §. 15. si quis qui test. lib. BERG. econ. Jur. P. II. Tit. 6. n. 4.

§. XII. Quemadmodum autem casus, quem mox exhibui, ad eos solummodo spectat, qui mox allegato jure utuntur, & apud quos consuetudo, vel lex scripta idem sancivit; sic quoque necessarium duco, ut hoc loco, antequam ad specialiora descendam, quædam dicantur, de diversis possessionem aperiendi generibus.

§. XIII. Derelinquendo possessio aperitur. Hoc vero ut fieri possit, ante omnia requiritur, ut derelinquens sit dominus arg. l. 12. C. de acquir. & retin. possess. Quod si enim alter sive procurator, vel colonus, vel inquilinus, vel quispiam alias, corporaliter noctam possessionem cùjuscunque rei dereliquerit, vel alii prodiderit, desidia forte, vel dolo, ut locus aperiatur; nihil factis ipsorum domino præjudicii generatur, per ipsissima verba jam alleg. l. 12. non obstante l. 7. ff. de A. v. A. P. quæ de corporali possessione, non de ea quæ jure procedit intelligenda est. Sive itaque

itaque donet, sive vendat, sive mecum permutet, sive mutuum det, sive alio modo dominum me constituat aliquis rei mobilis vel immobilis, simulac rem vacuam sentiam, tuto eam ingredi, & corpore & animo eandem possidere mihi licebit, nec me sollicitum reddere poterit vanus inquietæ possessionis timor.

§. XIV. Non omnes vacuam possessionem apprehendere possunt, sed ii tantum, quibus hoc est permisum. In primis lege, serui, natura vero furiosi, & pupilli ab hac possidendi facultate arcentur. *l.l. §.3. ff. d. A.v. A.P.* & ratio ibidem elegantissima datur, quia affectionem tenendi non habent, licet maxime corpore suo rem contingent: sicuti, si quis dormienti aliiquid in manus ponat. Quod si simpliciter esset accipendum, certe iniquum foret, pupillorum favorem hac lege iniqua diminui; sed cum lex nostra distinguat, an pupilli sint ejusdem ætatis, ut intellectum capiant, hoc est intelligent, nec ne: priorique casu sine tutoris autoritate pupillos possessionem acquirere posse, posteriori vero ob defecatum requisiti essentialis, intellectus nimirum non posse, solide demonstraret, non video, quomodo iniquitatis argui queat.

§. XV. Subjectum vacuæ possessionis, sequitur objectum, sine quo omnis vacuæ possessionis cognitio admodum obscura est. Si queras, quales res objectum vacuæ possessionis efficiant? in promptu responsio est: omnes res quæ possideri possunt, a possessione quoque liberas effici posse, quandocunque domino placuerit. Hinc sequitur, ut res quæ non sunt in commercio, neque a quoquam apprehendi queant. Ad hanc classem regalia

regalia principis ratione privatorum referre placet *Excellentiss.* BERGER. in *acon. J.L. II. tit. 6. §. 2.* sed assequi non possum, an de omnibus regalibus, an vero de majoribus solum id acceptum velit magnus ille iustitiæ sacerdos. Posterioris menti ipsius magis consonum esse judico. Quodsi enim perpendo, principem jure donationis, venditionis, & alio modo jura ista minora, & majestati non adeo firmis nexibus cohærentia, in privatos transferre posse; nullus dubito de majoribus regalibus accipiendum esse mox allegatum illustris Bergeri locum. Et hac in re magnum suo tempore JCTum C A S P. ZIEGL. in suo, quem de jure Majestatis scripsit, aureo libro *L. I.* c. 3. §. 28. mecum consentientem deprehendo. Ad maja-  
jora ille regalia resert potestatem legislatoriam, consti-  
tuendi magistratus, jus belli, jus extremæ provocatio-  
nis &c. quæ mere regalia, personalissima, ipsi coronæ  
annexa, sacra sacrorum, reservata principis vocat, & hæc  
nullo modo separari a Majestate, aut præscribi; minora  
vero facilius communicari posse privatis affirmat.

§. XVI. Ad res quæ extra patrimonium nostrum sunt, referunt quidam magnum illud mare, quod a velocitate fluendi oceanus Græcis appellatur. Et in primis inter alios eminet hujus sententia insignis defensor celeberrimus ille HUGO GROTIUS, qui superiori seculo tractatu de mari libero conscripto, in favorem præcipue Batavorum eo tempore ad Indos navigare inchoantium, contra Lusitanorum prohibitionem demonstrare voluit, magnum oceanum in nullius esse dominio. Quem impugnavit Jo. SELDENUS, ejusque mari libero opposuit, multisque undique conquisitis argumentis omni jure do-

minium maris competere, & præcipue Regi magnæ Britanniæ, cui mirum in modum blanditur, maris, quod magnæ Britanniæ occiduum est, maris itidem Scotici, orientalis, & septentrionalis dominium vindicare magno eruditioñis apparatu ausus est. Utraque sententia suos invenit defensores, utraque hostes experta est infensissimos. Hinc acerime concertatum est inter partes, pro HUGONE GROTIUS pugnantibus PONTANO, STYRMANNO, GRASWINCKELIO, SCHOKIO, aliisque, eos vero confutante JO. STRAUCHIO, *Tract. de Imper. mar. c. 2. §. 5. & 6.* cui iterum contradixit ULRICUS HUBERUS *Lib. 4. digress. c. 13. & seqq.* Si ingenue fatendum quod res est, & Grotiana, & Seldeniana sententia suos partitum defectus. H. Grotius assertionem liberi maris in eo fundat, quod natura ipsa velit usum maris omnibus partere, idque in numero earum rerum esse quæ in commercio non sunt, hoc est, quæ proprii juris fieri non possunt; cuius rei demonstranda causa ad Poetarum, scriptorumque latinorum, Legumque civilium testimonia provocat, & non de mari interiore, sed de magno oceano disputat, istum a Lusitanis occupari non potuisse, licet imaginem aliquam dominii præferat quavis injusta detentio; primarium illis deesse dominii requisitum, corporis ad corpus adjunctionem: hinc mundum dividere eos non valuisse, sed imaginariam limitum suorum posuisse lineam. Mare enim cum sit incomprehensibile, non minus quam aér, nullius populi bonis potuisse applicari. JO. SELDENUS e contrario omni distinctione, inter maria interna & externa, minora, & magnum istud, sublata, legibusque Justinianis, quæ pro contraria sententia

tentia militabant, rejectis, multis testimoniorum, & rationum partim probabilium, partim nulla ratione nitentium cumulis, mare dominii privati capax esse afferere voluit. Hac in re media sententia mihi arridet, qua ex mente Legum & in primis §. 1. J. de R. D. l. 4. ff. eod. l. 13. ff. commun. præd. mare ad res jure naturæ communes, quas ipsa natura sic in medio reliquit, ut unusquisque hominum eas occupare, & occupando quoad usum, non vero quoad proprietatem suas facere possit refertur, nostris autem moribus in dominio principum quodammodo esse statuitur.

§. XVII. Quod reliquias res concernit, communes nimirum, publicas, universitatis, quæ humani juris sunt: & res sacras, sanctas, & religiosas, quæ nullius in bonis esse dicuntur, quia divini juris sunt §. 7. J. de R. D. quin etiam res hæreditarias, quæ licet humani juris sint: attamen antequam aliquis hæres existat nullius in bonis sunt l. 1. ff. de R. D. eæ omnes, exceptis solis rebus, quæ divini juris sunt, §. 7. J. de R. D. vacuæ possessionis objectum licet diverso modo constituunt. Per transennam hic annotandum esse opinor, valde dubium mihi videri: an autoritas §. 7. nostris moribus quoque obtineat, & an res divinæ nullius in commercio existant. Quamvis enim ambabus largiar manib[us], res sacras, locaque sacra, quæ publice, non privatim, Deo sunt consecrata l. 9. ff. de R. D. quorsum argumento dictæ legis & l. 6. §. 3. ff. eod. refero templa, quæque iis includuntur subsellia, altaria, calices, vestes sacras & reliqua, quæ immediate usui sacro inserviunt, neminis in bonis esse; utut in causa redemptionis captivorum, &c. alienari possint §. 8. J. de R. D. attamen de re-

bus sanctis, & religiosis idem simpliciter affirmare non possum, & in primis in eo haereo, quod hodie videam jus inferendi mortuos in locum religiosum esse in commercio, ipsaque loca religiosa, ad quæ referuntur quoque Cenotaphia l. 6. ff. §. 5. de R. D. ab ecclesiarum præpositis vendi, & interdum cum qualitate jus inferendi, ad haeredes transferendi, concedi. Res sanctæ vero, in principum bonis extare videntur, quia itidem in commercio sunt. Quis enim nescit non solum agros, villasque, sed totas civitates, quin magna territoria, Principatus, & regna vendi, vel alio jure ad alios transferri posse; quis vero dubitaret vendita & tradita civitate, simul muros portasque vendi, & traditione secuta dominio accipientis subesse.

§. XVIII. Ostendi hic usque, quænam possessio vacua dici possit, explicavi quoque, circa quasnam res vacua versetur possessio; differui etiam de iis personis, quibus vacuam ingredi possessionem licet; sed cum hæc ad qualem qualem thematis cognitionem non sufficiant, & in primis ea, quæ de diversa, possessionem vacuam constituendi, ratione dicenda sunt, adhuc desiderentur; curabo, ne hac in parte manca, atque mutila, non dicam vacua videatur specimenis mei tractatio. Dupli- ci modo ea, quæ mox dicturus sum, considerari possunt: aut enim de possessione rei allodialis sermo est, aut rei feu- dalis. Utraque quod nostram quæstionem concernit, quædam invicem habet communia, quædam toto cœlo discrepantia. Possessionis allodialis secundum cuiuslibet civitatis placita potens fieri possum: quemadmodum e contrario possessionem feudi secundum leges, vel con- suetu-

suetudines feudales ab antecessoris insistentia liberam,  
meam facio. Illa vacua constituitur vel volente domi-  
no, vel invito. Prius accidit, quando cujusdam rei do-  
minus, pacto, vel contractu, vel donatione, vel ultima vo-  
luntate, ad alium transfert rem a seipso possessam, quam  
priusquam alter apprehendat, vacuam fuisse, necessario  
oporet; simili ratione rerum derelictarum & proprie-  
tas, & possessio occupantibus cedit: cuius rei elegans  
exemplum extat in §. 46. J. de R. D. desumtum a missilibus  
quaꝝ prætores jactant in vulgus; res vero pro derelicto  
habita, est, quam dominus ea mente abjecit, ut eam in  
rerum suarum numero esse nolit, ideoque statim domi-  
nus ejus esse definit §. 47. J. eod. Posterius fieri assolet,  
quando ob delictum perpetratum delinquens possessio-  
ne cadit, quaꝝ postea vel fisico, vel etiam lœsis applicatur;  
simili modo, quando bona illius, contra quem creditores  
concurrerunt, sub hasta invito licet debitore vendun-  
tur. Interdum etiam ambiguum est, num volente, an  
vero invito domino res vacua fiat; hoc evenire potest,  
si mors rerum possessores sive nolentes, sive volentes ab  
illis discedere, omniaque relinquere juss erit. Hujus au-  
tem nimirum possessonis rei feudalis longe alia facies est;  
adeo ut valde dubitem, an eo sensu, quo supra vacuam  
exhibui possessionem, vacua rerum feudalium possessio  
unquam fuerit. Sive enim considerem, dominium va-  
falli tam arctis limitibus esse circumscriptum, ut plane  
domini appellatione indignus haberi possit; sive ex al-  
tera parte domini directi jura penitus inspiciam; incon-  
grua certe videri posset comparatio inter possessorem  
feudi & allodii: ast his non obstantibus, quis ei, qui plenis-

sime re aliqua uti, de eadem disponere, eandem vendere, donare, utut domino directo consentiente, potest, dominium, & possessionem denegare posse, non assequor; & si hoc addam, hodie confirmationem contractuum, & quarumlibet fere alienationum esse necessariam, facilitiori modo concedere possum, ea quæ §. 4. dixi, ad feuda quoque recte applicari. Feuda omnia aperiuntur pacto, contractu, & delicto, quibus ad mortem vasalli; acquiruntur vero investitura, & successione, uti vult *Obertus de Orto. Feud. L. II. tit. 2.* quibus accedit delictum Vasalli; scilicet feloniam (qua tamen voce non utitur) vel ingratitudo cuius ipse decem causas *L. 2. tit. 24.* recenset, ex quibus feuda amittantur, & necessario domino acquirantur. Principue autem notandum, quod quemadmodum possessio aliodii, & feudi multum discrepat; sic quoque in hoc, quod vel leviuscule delinquens in dominum Vasallus feudo cadit, quod testatur severitas Lotharii, qui, ut beneficiis priuarentur milites, qui sine consensu dominorum beneficia alienaverant, edictali lege *L. 2. feud. tit. 52. inserta*, fancivit, quam Lotharii legem *Obertus eod. libro tit. 24. in fin.* ad omne beneficium Imperatoris extendit, & rationem addit, quia alienans, dominum contemnere videtur. *B. SAM. STRYK. in E. J. F. c. 23. §. 19.* Testatur quoque ea de re textus *1. feud. 5.* verbis: aut cum ea (domini uxore) turpiter luserit, quæ de osculo luxurioso, & amplexu sive contrectatione libidinosa interpretantur *STRYK. Ex. J. F. c. 23. §. 15.* & *STRU V. Syntagm. J. F. c. 15. §. 9. in annotat.* Cum e contrario nulla nisi enormia delicta jure civili possessores bonis suis privent.

§. XIX.

§. XIX. Consideratis nunc iis, quæ ad vacuæ possessionis materiam theoretice spectatam, pertinent: tempus est, ut de usu hujus thematis practico pauca adjiciam. Occupabunt hunc locum controversia, quæ respectu vacuæ possessionis quotidie fere moventur, quæque motæ judicium patientiam, partium litigantium bursas, & causæ patronorum ingenia mirum in modum exercent; istorum locos communes animadversionibus casuum notatu dignorum replent, illorum marsupia evacuant, horum vero arcas, cistasque gravidas reddunt.

§. XX. Ex utroque processu, tam petitorio quam possessorio quosdam flosculos decerpturnus, religioni mihi non duco confinia utriusque processus tangere, utut adeo distincta sint, ut uno finito, demum alter incipere soleat. Differentia vero specifica processus petitorii, & possessorii hæc est, quod in controversiis de possessione vel quasi possessione motis, tantum queratur, & causa cognita pronuncietur, uter possideat, in petitorio vero de proprietate litigetur, per l. 35. *ff. de usurp. & usuc.* Hinc prima fronte insipienti legem 12. *ff. de A. vel A. P.* valde dubium videbitur; an semel instituto petitorio, transfilire lineas, & mutatis vicibus possessorio agere liceat; sed cum verba legis interdictum uti possidetis ei non denerari velint, qui coepit rem vindicare; lexque elegantem addat rationem: non videri possessioni renuntiasse, qui rem vindicavit, expediti juris est, inchoato petitorio processu mutare libellum posse actorem, & remedio possessorio longe commodius acturum. Quod etiam jure Saxonico abrogatum non est, & verba *Decif. Elect. 13.*  
init.

init. Daß das Possessorium, und Petitorium nicht in einander vermenget werden soll, de quæstione solummodo: an instituto possessorio in petitorio quoque cognosci licitum sit, sunt accipienda, legi vero nostræ nullo modo officiunt.

§. XXI. Ut proprius ad scopum accedam, inter innumeratas, quæ ratione mei thematis ventilari possunt, & ventilata sunt, & ventilantur forsitan quotidie, quæstiones; quasdam, quæ mihi ad rem pertinentes videbuntur, oculis, & judicio lectorum meorum fistam. Insignis quæstio est: an licitator, cui adjudicata domus, ob æs alienum, & hinc ortum concursum Creditorum sub hasta vendita, priusquam ipsi possessio simpliciter, & ab omni omnino possessore vacua tradatur, actione emti conveniri, & ad id ut pretium solvat jure adigi possit. In hac re pro utraque, tam affirmativa, quam negativa sententia militant rationes, quæ illustria scabinorum Lipsiensium, & JCtorum Witebergensiuu Dicafteria ad id compulerunt, ut ratione Domus Melberianæ, Anno 1703. Nivopoli sub hasta venditæ, de jure quæstiti, diversimode responderent. Non mihi mens est, fidelem Responsi Wittebergenensis translatorem hic agere, prolixisque rationum dubitandi, & decidendi enarrationibus vacuas opplere paginas, sed paucis rationum nervum ponderasse, contentus ero. Sententia negativæ faveret præcipue, quod subhastatio sit species emtionis, in hoc contractu vero nemo potest contra alterum experiri, quam facto ex parte actoris implemento, & antequam vacua possessio tradatur, quæ non intelligitur, si alius in possessione est, aut creditores bona possident. l. 2. §. 1. ff. de Contr. E. V. & rem

semper reus adversus petentem exceptione uti possit  
fi res tradita fuerit, tunc solvam l. 25. ff. eod. Hinc Do-  
minorum Wittebergenium sententiam amplector,  
qui licitatem, priusquam domus tradatur, neque  
actione emti conveniri, neque ad id compelli posse, ut  
apud judicem pretium deponat, recte censuerunt.  
Dissentientium Dominorum Scabinorum forsitan ra-  
tiones fuerunt, quod naturae contractus emti venditi  
conveniat, omne periculum, & damnum apud emen-  
tem traditione nondum secuta manere, & debitori, qui  
a cursu usurarum sese liberum praestare vult, incum-  
bere, ut fortem apud judicem deponat, vi Decis. Elector.  
27. sed minus recte infertur, damnum manet penes em-  
torem, traditione nondum secuta; ergo tenetur lici-  
tator, ut solvat, priusquam is, cuius domus sub hasta  
maximum pretium offerenti venditur, domum eva-  
cuaverit: neque decisio Electoralis, qua prohibet, ne  
debitor creditori solvat, huc recte applicatur.

§. XXII. Quid vero de debitorum aufugientium  
bonis dicendum sit, an pro vacuis habenda sint, nec  
ne, in ambiguo est. Hac ambiguitas autem distin-  
ctione adhibita corruit. Aut debitores relinquunt  
bona animo nunquam revertendi, quod fieri solet a  
mercatoribus, vel dolo, vel culpa, vel casu denique fal-  
lentibus; aut cedunt bona debitoribus: aut tandem  
timore carceris, juris cambialis rigore in morosos de-  
bitores paratissimi, aufugiunt quidem & sic possessio-  
nem corpore amittunt, animo vero retinent. Primo  
& secundo casu possessio omnino pro vacua habenda  
est; tertio vero pro vacua haberri nequit. Utut au-

tem bona debitorum, res suas & corpore, & intellectu  
sive animo derelictorum, libera sint a possessione:  
minime tamen gentium cuilibet occupanti cedent;  
adeo, ut ne quidem creditor possessionem apprehen-  
dens in bonis fugitiivi debitoris, antequam per senten-  
tiam immisio decreta, jus reale nanciscatur, uti Sca-  
bini Lipsieus M. Febr. 1690. an L. Batharias Hugeli  
responderunt referente B. RIVINO Enunc. jur. ad Or-  
dinat. Proc. Saxon. Tit. 47. Enunc. 5.

§. XXIII. Inter alia, quæ de vacua possessione  
moveri possunt litigia ea, quæ de spolio moventur, no-  
tatu sunt dignissima. Hic præcipue queritur, an spo-  
liator quoque in possessione a judice sit tenendus.  
Favet spoliantibus art. 24. 1. des Land. Rechts: ejus-  
que verba: man soll niemand aus seiner Gewehr weisen,  
ob er gleich mit Unrecht darein kommen wäre. Id quod  
in omnibus possessoriis fere usuvenit, ubi solummodo  
actus possidendi consideratur, & nulla possessionis  
causa exploratur, nec inspicitur justitia possessoris, sed  
vera, & naturalis insistentia, teste ZIEGLER. Concl. 1. n.  
58. seqq. Maximo odio persequitur spoliantes Jus Ca-  
nonicum, hocque quotidiana praxi approbatum repu-  
gnat antea dictis, & spoliatum ante omnia esse resti-  
tuendum ipsa aequitate, non cerebrina, sed naturali id  
dictante, jubet, atque constituit. Spoliator autem  
est, qui aliquem de possessione rei corporalis immobi-  
lis sive ipse, sive per alium hoc fecerit, etiam per judi-  
cem, juris ordine prætermisso cognoscentem, violen-  
ter ejicit, vel clam possessionem intrat. C. item cum quis  
C. conquerente, C. in literis tuis. & C. sape X. de restit. spo-  
liat.

*lia.* Hinc emtor fundi, ab alio jure conductionis, adjecta clausula constituti possessori, possesi, spoliū committit, si, priusquam conductori satisfactum est, a judice decreto exmissionis impetrato, causa possessionis nondum cognita, conductorem dejecerit; & proinde ad restitutionem spolii cum refusione expensarum, fructuum perceptorum, omnisque damni, & lucri sive velit, sive nolit, jure meritoque compellitur. Simplex vero conductor, qui clausula constituti possessori (quaꝝ continet pactum, quo dominus promittit; se rem suam deinceps non suo, sed alterius nomine possessurum l. 13. ff. de A. I. A. P.) sibi non prospexit, emtori cedere locum tenetur, idque l. 9. C. de loc. & cond. ejusque verba: emtorem quidem fundi necesse non est, stare colono, cui prior Dominus locavit; nisi ea lege emit, & ex hac lege ortum proverbium: Rauff heft die Miethe auff, evincent. Quo actionis genere vero emtori contra conductorem expiriendum sit, non convenit inter omnes: quibusdam plane nullam emtori dari actionem mordicus defendantibus; aliis condicione ex l. 9. C. expelli posse conductorem contendentibus: GOTHOFREDO ad l. 3. C. de loc. cond. verb. expelli. jure Gallico implorationem officii judicis suppeditante. Quam GOTHOFREDI sententiam multis rationibus corroboratam esse, judico. Quid enim planius: emtor expellere potest conductorem; non vero datur ipsi actio realis, rei scilicet vindicatio; quia non accipit dominium nisi tradita vacua possessione l. 2. §. 1. ff. de act. emt. neque actio ex contractu, quia inter ipsum & conductorem nullus

intercessit contractus: multo minus remedia possessoria retinendæ, vel recuperandæ possessionis ex l. 12. 13. ff. devi & vi armat. l. 10. C. unde vi locum habere possunt; quia emtor nondum apprehendit possessionem civilem, neque de turbatione hic queritur. Ergo nulla supererit actio quam condic̄tio ex lege, vel imploratio officii judicis, prout in simili casu novissime respondit Fac. Jur. Lips. Mense Augusto 1718. Cuius Responsi verba, ut circumstantia tanto exactius intelligantur, integre communicabo:

P. P.

Hat Hieronymus sein Pferdner Guth Sallustio auf 3. Jahr, jedes Jahr vor 100. Rthlr. verpachtet, nach Ablauf aber des ersten Pacht-Jahres dasselbe an Semproniu[m] vor 1000. Rthlr. verkauft und will Sallustius, ungethet daß Er in dasselbe nichts verbauet, weniger Er das Jus retentionis zu exerciren vermag, Kaufern es nicht eintäumen, dahero ist Sempronius willens Klage wider Ihn, zu Einräumung des Gutheres, zu erheben, und fällt Zweifel vor, was vor eine actio dießfalls anzustellen sei? Ob nun wohl der bloße Kauf zwischen Hieronymum und Semproniu[m] wegen des Pferdner-Guthes geschlossen worden, welcher Contract den Pächter nicht obligiret, machen Er nicht mit darzu gezogen worden, noch, daß Er sich seines Pacht-Rechtes begeben hätte, zu befinden, machen dem Käuffer wider den Verkäuffer actio personalis emti zustehet, welche contra tertium nicht fratt hat, hiernechst dem Käuffer von Verkäufern das Guth nicht eingeräumet, noch in Lehn und Würden gegeben worden, folglich rei vindicatio nicht anges

stellet werden mag, gestalt Käuffer annoch kein Jus reale erlanget, woraus angeregte rei vindicatio entstehet, auch das remedium possessorium retinenda vel recuperanda possessionis. ex l. 12. 18. ff. de vi & vi armat, l. 10. C. unde vi, nicht zugelassen werden kan, maßen der Käuffer niemahls possessionem civilem ex titulo emtionis venditionis ergriffen, welcher die detentio, die der Pachter Sallustius vorschützen möchte, allerdings weichen müste, gestalt angeregtes remedium possesionis recuperanda vel retinenda auf die Possess, die man gehabt, oder die so man hat, und darinnen turbiret wird, gerichtet, allhier nicht statt findet, dannenhero daß der Käuffer Sempronius wider den Pachter keine Action anstellen könnte, es das Ansehen gewinnet;

Dennoch aber und dieweil der Käuffer durch den richtig geschehenen Kauff nach denen Rechten also bald das periculum wegen des gekauften Stükcs über sich nehmen muß, hingegen auch die fructus zu heben hat, folglich Er hierüber ein besser Recht, als der Conductor hat, erlanget, und also die gemeine Regui allhier, daß Kauff vor Miethe gehet, statt findet, auch dem Käuffer disfalls der l. 9. C. de Loc. Cond. zu statten kommt, wodurch Zhme nachgelassen, den Pachter des Pachtes, vermittelst gerichtlicher Hülfe, zu entsezen.

So mag, gestalten Sachen nach, der Käuffer wider den Pachter implorationem officii Judicis Inhalt des l. 9. C. de Loc. Cond. wohl anstellen. Von Rechtswegen.

Eiusmodi imploratio hunc in modum concipi posset:

D 3

P.P.

P. P.

Aus dem in forma vidimata beygelegten Kauff-Contract werden E. H. E. mit mehrern erschen, was gestalt Pomponius sein Erb-Guth zu Nicopolis an mich vor 4000. Reichs-Thaler verkauffet, auch das Kauff-Premium schon von mir erhalten. Da aber Carpophorus, welchen Pomponius das Guth vor 2. Jahren verpachtet, unter dem nich-tigen Vorwand, die Pacht-Zeit sei noch nicht verflossen, gemeldtes Guth in Güte nicht räumen will; gleichwohl mir nach der bekandten Rechts-Regul: Kauff hebt Miethe auf, unstreitig zu weichen verbunden ist, so finde ich mich gemüfiget, E. H. E. gehorsamst zu imploriren:

Carpophoro anzubefehlen, daß er aus dem Gu-the zu Nicopoli mit seiner Familie, und allen Mobilien weichen, und mir solches völlig räumen solle.

Alldieweilen dieses mein Suchen in dem bekandten I. g. C. locat. & Cond. gegründet; als zweiflē nicht an hochgeneigter Deserirung, und verharre ic.

Victorinus.

§. XXIV. Ad illustrandum præcedentem §. to-tamque dissertationem, ejusque fundamentum magis corroborandum, multum facit disquisitio quæstionis: an pro spoliatore habendus sit hæres, qui, domum, cuius hæreditas nondum adita est, sub prætenso com-potentis sibi portionis certæ titulo occupantem, confessim autoritate magistratus iterum dejicit? ne-gativam

gativam sententiam hic eo libentius amplectior, quo certius est, pari ratione eum, qui vacuam possessionem absentium sine judiciali sententia detinet, pro prædome haberi *l. n. C. uide vi.* quum hunc, qui propria autoritate in præjudicium hæreditis possessionem hæreditatis vacuæ apprehendit. Ex qua lege patet, vacuam possessionem apprehendi non posse, nisi præcedat justa causa: cum vero titulus desit prædoni, & propria autoritate hæreditatem occupantes invasores dicantur *l. 25. ff. de hered. petit.* idque quod dicitur, spoliatorem quoque esse in possessione tenendum, de eo casu accipiendo sit, si quis prædonem vi armata dejecerit *S T R u v. exerc. 45. th. 109.* Spoliator non potest dici is, qui ejusmodi prædonem dejicit. Eundem in modum sententiam tulit *Fac. Jurid. Lips. in causa L. M. contra A. L.* cuius sententiæ rationes decidendi, ob causas raritatem, integras, omissis tantum allegatis actorum foliis, aliquique hoc non spectantibus his inserere placuit.

#### Rationes decidendi.

Obwohl Befragter vergiebt, daß er bei Absterben seiner Schwieger- Mutter D. S. Inhalts des darüber aufgerichteten Notarii Instruments in ihren Hause die, wegen seiner verstorbenen Frauen noch zurückgebliebenen Vatertheils erledigte Possessiōnē, unterschiedene Logimenter, und Behältnisse obsigniret, Kläger hingegen hierauf zugefahren, und resigniret, auch nummehr das Haus gar an einen andern verkauft, und sie ihn der Possessiōn entsetzt, deswegen er in termino exceptionem spo-

lli opponiret, und vermeinet, daß ehe, und bevor er  
völlig restituirt sey, der Klägerin Suchen nicht statt  
hätte.

D. a. u. D. Beklagens Ehe-Weib ohne Kin-  
der verstorben, Beklagter also kein Befugniß der  
Possesss seiner Schwiegermutter Hauses anzumaß-  
sen vor sich gehabt, und disfalls nach Anleitung des  
*L. n. C. unde vi. in præjudicium der Klägerin als*  
*der verstorbenen Mutter leiblichen Tochter, die Pos-*  
*sesss nicht ergreissen mögen, immassen sie denn auch*  
*von der Obrigkeit hierinnen geschützt, und von der*  
*selben die Siegel wieder abgenommen worden, Be-*  
*klagten also hierdurch nicht entzogen, noch er durch*  
*dieses factum spoliaret ist. So ist x.*

§. XXV. Hæc sunt quæ de possessione vacua  
charta mandanda esse judicavi. Fateor equidem me  
immensum hujus materiax equor exaurire non va-  
luisse, cum arcti dissertationis limites hoc non patian-  
tur; attamen quia malui paucis multa, quam multis  
pauca exhibere: quilibet æquis dissertationis mex ar-  
biter hocce meum specimen non ex plagarum nume-  
ro, neque verborum multitudine, sed inten-  
tionis integritate metietur.




**ULB Halle**  
005 362 326

3







556 1718.10.2 4.

D. T. F.  
**THEMA JURIDICUM**  
**DE**  
**VACUA POSSESSIONE**  
CONSENSU  
MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS  
SUB PRÆSIDIO  
**DN. FRIEDERICI PHILIPPI**  
J. U. D.  
ET FACULT. JURID. SUBSENIORIS  
*AD DIEM XIII. SEPTEMBRIS ANNO cl. 1718. XIX.*  
ERUDITORUM CENSURÆ  
S I S T I T  
**M. FRIEDER. ALEXANDER KÜNHOLD**  
GOTHANUS  
—  
*LIPSIÆ*  
LITERIS TITIANIS.

